



SERENISS.

PRINCIPI

EXCELSO

VENETORVM

SENATVI

Collegium Physicorum Venetiarum

D. D. D.



NIHIL est in Ciuitatibus bona populorum valetudine optabilius, non ad eorum tantum qui reguntur, sed qui regunt etiam felicitatem necessaria; hanc restituit, & retinet medicina, medicinam pharmaca rite parata in primis commendant: quo fit, vt hinc potissimum artis præclarissimæ ratio pendeat,

† 2 ex

ex ipsa arte vrbium salus & incolumitas.
Norunt id veteres medicinæ proceres, qui
multi & assidui in hac de Antidotis tracta-
tione fuerunt: nouit & sapientia tua, quam
nihil latet, Sereniss. Princeps, cui cum vi-
ta ciuium maxime in votis sit, magnificen-
tissimo olim Senatus Consulto, hanc ordini
nostro prouinciam imposuit, vt Antidota-
rium ad vsum publicum conscriberemus, e-
deremusq. Nihil pro singulari Senatus pru-
dentia vtilius, nihil pro benignitate mode-
ratius. Nos contra aliquando opus absolui-
mus, non negligentia, aut inscitia; sed fata-
li quodam, nec minus assueto summis exi-
mijsq. conatibus malo. qui enim fauere no-
bis, obsequi voluntati nostræ debebant, ij
potissimum aduersari, obsistere, semper
contra niti, nihil magis inuisum habere,
quam quod nos rite, & ex arte factum, vfu
& doctorum testimonio comprobatum.
Sed vicit tandem ignorantiam recti, & in-
uidiam ipsa vis veritatis: perfecimus opus,
non minus vtile, sed, quod dictum sine vl-
la eruditionis iactatione volumus, à nullo an-
te hac

te hac consimili methodo perstrictum. Omnia in illo ad antiquorum mentem (hi enim aut soli, aut maxime sapere visi sunt.) Omnia non perfunctorie, nec per ambages, at strictim, & serio ut potuimus. Omnia denique non ad ostentationem doctrinae, sed ad studium veritatis. Porro is, cui onus à nobis iniunctum est Curtius Marinellus vir inter nostros acer, et doctus, in opere exarando commodi publici ratione iudicio se sibi prepolluisse fatetur; nos in eodem perpendendo, imperio Senatus, nobilissimorum civium incolumitate, felicissimi populi salute acutiores redditus, & cautiores. Hos igitur de componendis Antidotis libros P. Ser. P. C. quae decet humilitate vobis donamus, dedicamus, rogamusque enixe, ut inter graues Reip. curas suas illis quoque sit locus: scilicet, ut non contempti à Seplariis, sed quam diligentissime observati, opus potius vestrum, quam labor noster censeantur. Neque enim fortasse immerito hic illis honos debebitur, quibus secundum Deum, civium vita, & valetudo magna ex parte

parte referenda erit accepta. Interim nos,
dum industriæ qualiscumque nostræ mo-
numenta publice omnes reponimus, stu-
dium operamq. simul pro Urbis præcla-
rissimę salute priuatim singuli deuouemus.
Faucat celsitudo tua S. P. labori nostro, &
addictissimum ordinem nulli fide & obser-
uantia secundum volens, lubensq. foueat.

